

ex axungia suillæ partibus duodecim, argenti viui in salua hominis jeiuni, vel succo limonum, extincti, parte vna vel duabus. Tum balneum detergens & adstringens ex plantagine, thapso, polygono, pilosella, rosis, sale, alumine conficiatur, quo vtimur, materia iam per priora balnea euacuata.

Notare tamen conuenit, licet balnea multis profint, multis etiam obesse: Cacochymicis namque & plethoricis, nisi vniuersim prospectum sit, nocent: Sic etiam iis, quibus visceris imbecillitas, obstructio, hypochondriorum tumor, cum à balneis fluxiones in partes delibiores, sæpe etiam febres concitentur.

Tempus autem ad eundem vsum commodum, matutinum est, & vespertinum, horis aliquot à leuiore prandio. Cauendum autem, ne in balneo, dum sedet æger, horrore aut animi deliquio corripatur. Quamdiu autem infidere par sit, ex ægri viribus, consuetudine, anni tempore, cœli statu desumendum. Insuper aeris constitutione contagiosa à balneis tam humidis, quam siccis, cum hisce pori cutis referentur, & corpus ad contagium concipiendum aptius reddatur, abstinere oportet. Sic etiam ea die, qua sanguis missus est, vel corpus purgatum, balneum vitandum.

*De Lotionibus siue balneis particularibus.*

C A P. LVII.

**L**otiones, quæ balnei vicem sæpe subeunt, eiusque nomine balnea particularia dici merentur,